Varsoviae
27 Majo 1888

FRANCISZEK BŁONSKI
STUDENT MEDYCYNY.

Illustrissime Vir!

Suppliciter veniam peto, quod litteris meis distraham Vos traditum nunc toto animo Vestro classico et sic ab omnibus mycologis exoptato operi. Nemo est tamen, quem possim potius quam Vos in auxilium mihi rogare. Et nunc mitto fungum ad truncos betulae lectum, quem ego pro nova specie Daedaleae habui, qui est tamen, ut nunc puto, amoena forma Trametis rubescentis, quam ego var. anceps nominem. Rogem ut Vestram opinionem de hoc fungo mihi benigne communicare velitis. Ecce enim:

Tramet. rubesc. (Alb. & Schw.) var. anceps.

„Pileo sessili plerumque reniformi, Ramlato (in meo exemplario), suberoso, superne radiatim rugoso, concentrice sulcato, sub-

nitido, dilute ochraceo-ferrugineo, zonis obscurioribus immixtis, margine acuto, deorsum spectante, poris obscure purpureo brunneis, postice subrotundis vel saepius oblongis, ad marginem versus multo longioribus, quasi lineariibus vel labyrinthiformibus, acie acutis, integris. Caro suberosa, basim fere 2 cm. crassa, luteolo-alba, inodora, ad marginem versus attenuata.

ad truncos arentes betulae

A typica forma differt magnitudine (major, crassior), sulcis concentricis bene expressis et prae ceteris poris maxime a typo Fram. distantibus.

Mitto ad conferendum, quo minus carissimi temporis Vobis haec res rapiat, et typicam Fram. rubescentem alio loco in Polonia lectam.

Optimas gratias ago ob missum benigne censum meorum fungorum (Pol. simulantis, Pol. lithuanici et Xylariae entomophilae), de quibus nonnulla verba addere velim.

Xylaria entomophila novissime a me X. polonica (a mea carissima patria) nominata nulla clava gaudet et apicem albo pulvere conidiorum (ut ad exempl. Xyl. (Hypoxylon) praebet), quare quamquam ad insecta proveniat (forsitan et ad folia etc., quamvis nondum vidi?), potius ad Xylariam non ad Cordycipem adnumerem. Ceterum verisimillime inveniro eam noviter hoc anno, forsitan cum fructu!

Pol. simulans quem, ut Vos scripsistis, cum Daedal. unicolor comparavi videtur mihi diversus colore pororum, eorum forma (ut optime ex adjunctis exsiccatis videri possit), pori enim apud P. simulantem ad marginem fere subrotundi reticulatique sunt, apud Daed. unicol. ad marginem exactissime typice (ut ad exempl. in Irpex) lamellaeformes vel labyrinthiformes. Etiam et pileo differt subzonato, pubescenti, non, ut in Daedalea, zonato strigoso.

Spero Vos, cujus instantiam erga me liberalitatem nunquam oblivisci possum, satisfacturos meis precibus et brevi responsuros de Dramatis rubsc. varietate.

Vester deditissimus servus

Fr. Blonski

Scribatis ad:

Fr. Blonski

Rue Karmelicka 27

Varsovie.